Jahresbericht

über das

Gymnasium zu Plauen.

Schuljahr 1847—1848.

Womit

zu dem am 17. und 18. April zu haltenden

Schulexamen

ehrerbietigst und ergebenst einladet

der Rector

Johann Gottlob Dölling.

Voran: Eine lateinische Abhandlung über Horat. Od. I, 28.
von G. Meutzner, Ph. D. Coll. IV.

PLAUEN,
bei August Schröter.

Est periculosae plenum opus aleae, denuo quasi revocare in vitam et lucem, quae aliquamdiu iacuerunt abiecta et tanquam intermortua; magisque solent nostra aetate laudari, qui stantem columnam iniurioso pede proruunt, quam qui communi multorum impetu labefactatam vel subversam fulcire student aut rursum erigere. Neque minus plectuntur, qui talia audent in his literis nostris, quae versantur in antiquitatis monumentis, quaecunque illa sunt, explicandis, quam qui in reliquis vitae negotiis similia conantur suscipere. Verum tamen, quicunque non tam inani novitatis studio abripiuntur, quam ducuntur genuino veritatis amore, non moventur ista fortunae iniquitate, sed audacter, quae vera cognoverint, defendunt, sive illa novitatis luce splendent, sive dudum neglecta ab antiquitate sola aliquam habent commendationem; nec magis id facere consuerunt ipsi, quam probant, si quos alios eodem veri amore vident incitatos. Quam ob rem, quum verum quid esset, diligenter mihi videar quaesivisse, etsi, quod inventum est, a plerisque hodie damnatur, tamen spes subit animum fore, ut iudices veri quam novi amantiores, quos scio esse multos, comprobent si non scriptionem ipsam, at scribendi rationem et consilium.

Horatii carmen, quod Archytas inscribitur, quod libri primi odarum est duodetricesimum, omnes quod sciam olim pro colloquio habuerunt, quod poëta nautam inter et Archytae umbram habitum finxerit. Nostra vero aetate tantum non omnes istam interpretationem turpe commentum dixerunt, novamque alius aliam quaesiverunt. Multi prorsus negant, pro colloquio carmen haberi posse, quidam retinent colloquii rationem, sed eam mutatam; paucissimi antiquam defendunt explicationem (unum vidi Braunhardum eam suscipere provinciam), qua nautae sex versus priores

tribuuntur, Archytae umbram alloquenti, reliqua omnia sunt Archytae, primum respondentis, deinde sepulturam petentis. Mihi vero, quicunque plus minusve ab hac antiqua descriptione discesserunt, impedire magis quam expedire videntur carminis intelligentiam, qua de re iam pluribus conabor disserere.

Erunt autem totius disputationis hae fere partes quatuor:

primum aperientur caussae, cur iis, qui omnem colloquii rationem censent tollendam, assentiri nequeamus;

tum disputabitur contra eos, qui colloquium retinent illi quidem, sed alia ratione;

deinde exponetur, quaenam dictionum singularum ratio, quodque carminis totius videatur consilium ex antiqua, quam nos probamus, carminis descriptione;

denique examinabimus locos quosdam, qui nostram interpretationem aut impedire videantur atque dissuadere, aut defendere et comprobare.

Colloquii rationem iam pridem improbaverat vir doctus, quem Casaubonum putant. Sed latebat inventum, quia nusquam ea de re exposuerat uberius, atque tantum in editionis margine adscripserat: „de Archytae colloquio turpissimum est commentum.“ Nostra vero aetate, quum Hottinger, Weiske, Grotefend, Kries vulgarem interpretationem improbare coepissent, a H. Peerlkampio ista quoque annotatio in lucem est protracta, sive ut novo invento quaedam vetustatis auctoritas conciliaretur, sive ut priorum consensus, cui rei non pauci vim aliquam tribuere viderentur, tolleretur. Verum tamen ut consentiunt de improbanda antiqua interpretatione, ita mirum quantum, quae iusta videatur et vera carminis ratio, vel illi ipsi, qui ab uno omnia dici existimant, inter se dissentiunt. Alii enim umbram Archytae ad suum ipsius monumentum adstantem haec omnia fari volunt, alii totam orationem ipsi tribuunt Horatio, naufrago ad litus Matinum et quasi mortuo; sunt etiam, qui umbram aliquam hominis, qui ipse modo perierit naufragio ad litus Matinum, oberrantem in litore ad Archytae tumulum delatum haec disserere dicant.

Profecto non admodum commendatur inventum ista eorum dissensione, qui eius sententiae patroni exstiterunt. Accedit, quod, ut bene iam monuit Düntzer in libro: *Kritik und Erklärung der Oden des Horaz p.* 60., ea est totius carminis natura, ut, qui legat iudicio incorrupto nec ulla implicitus praeiudicata opinione, facere non

possit, quin colloquium se legere putet. Namque si ea fere est aptissima interpretatio, ad quam ipsa verba primum quemque lectorem videntur ducere, ea vero, si pauca quaedam excipias, in quibus consulto tenebricosi quid scriptores videntur sectati esse, plerumque a poëtae consilio abhorrens, ad quam non sine multa machinatione et artificiosa rerum ac verborum quasi volutatione et conversione possit perveniri; sane est quod dubitemus assentiri viris doctis, quos supra nominavi. Augebitur autem ista dubitatio, si re diligentius perpensa intellexeris, quam mira, quamque ab natura ipsa et poëtica simplicitate aliena confinxerint, ut istud inventum suum aliqua ratione tuerentur; ut fere liceat suspicari, non ante quemquam colloquium sprevisse, quam de colloquii iusta et apta interpretatione desperasset. Sed videamus singula.

Umbram igitur Archytae quidam voluerunt quasi ipsam secum disputare. In quo id primum mirum mihi accidit, umbram istam principio quasi semet ipsam aut irridere aut certe cum dolore mirari, Archytam tam doctum hominem periisse, quasi id novum et prorsus insperatum possit esse umbrae scilicet Archytae ipsius. Deinde vero magis etiam mirum, eam umbram, quae modo ossa et caput inhumatum suum tamquam personam a se diversam erat allocuta, eandemque conditionem servarat etiam in consolatione: *iudice te non sordidus auctor naturae verique,*" eam post subito mutare rationem et consolari non Archytam, sed semet ipsam, quasi ipsa umbra *Illyricis obruta undis* perierit naufragio, sibique petere sepulturam: *precibus non linquar inultis.* Denique unde postremo ille nauta tamquam deus ex machina? — Nauta, aiunt, casu praetervehitur, eumque umbra animadvertens ex litore precatur, ut se ter pulvere iniecto sepeliat. — Fateor incommodum potius quam commodum eum mihi videri casum, et vix probabilem eam interpretationem, quae quum causam atque rationem exputare nequeat, ad casum confugiat; sed vix teneo risum, quum eam umbram alta voce clamantem et nautam revocantem videor videre. Alios nescio, mihi quidem hoc totum inventum non modo Horatio, sed ne infimae quidem notae poëta dignum videtur. Huc adde, quod at particula, qua utitur in ista allocutione, videtur postulare, ut, quae ante leguntur, eidem nautae sint dicta ita quidem, ut nautae aliquid concedatur. An vero nautam volunt astare statim a principio Archytae

tribuuntur, Archytae umbram alloquenti, reliqua omnia sunt Archytae, primum respondentis, deinde sepulturam petentis. Mihi vero, quicunque plus minusve ab hac antiqua descriptione discesserunt, impedire magis quam expedire videntur carminis intelligentiam, qua de re iam pluribus conabor disserere.

Erunt autem totius disputationis hae fere partes quatuor:

primum aperientur caussae, cur iis, qui omnem colloquii rationem censent tollendam, assentiri nequeamus;

tum disputabitur contra eos, qui colloquium retinent illi quidem, sed alia ratione;

deinde exponetur, quaenam dictionum singularum ratio, quodque carminis totius videatur consilium ex antiqua, quam nos probamus, carminis descriptione;

denique examinabimus locos quosdam, qui nostram interpretationem aut impedire videantur atque dissuadere, aut defendere et comprobare.

Colloquii rationem iam pridem improbaverat vir doctus, quem Casaubonum putant. Sed latebat inventum, quia nusquam ea de re exposuerat uberius, atque tantum in editionis margine adscripserat: „de Archytae colloquio turpissimum est commentum.“ Nostra vero aetate, quum Hottinger, Weiske, Grotefend, Kries vulgarem interpretationem improbare coepissent, a H. Peerlkampio ista quoque annotatio in lucem est protracta, sive ut novo invento quaedam vetustatis auctoritas conciliaretur, sive ut priorum consensus, cui rei non pauci vim aliquam tribuere viderentur, tolleretur. Verum tamen ut consentiunt de improbanda antiqua interpretatione, ita mirum quantum, quae iusta videatur et vera carminis ratio, vel illi ipsi, qui ab uno omnia dici existimant, inter se dissentiunt. Alii enim umbram Archytae ad suum ipsius monumentum adstantem haec omnia fari volunt, alii totam orationem ipsi tribuunt Horatio, naufrago ad litus Matinum et quasi mortuo; sunt etiam, qui umbram aliquam hominis, qui ipse modo perierit naufragio ad litus Matinum, oberrantem in litore ad Archytae tumulum delatum haec disserere dicant.

Profecto non admodum commendatur inventum ista eorum dissensione, qui eius sententiae patroni exstiterunt. Accedit, quod, ut bene iam monuit Düntzer in libro: *Kritik und Erklärung der Oden des Horaz p.* 60., ea est totius carminis natura, ut, qui legat iudicio incorrupto nec ulla implicitus praeiudicata opinione, facere non

possit, quin colloquium se legere putet. Namque si ea fere est aptissima interpretatio, ad quam ipsa verba primum quemque lectorem videntur ducere, ea vero, si pauca quaedam excipias, in quibus consulto tenebricosi quid scriptores videntur sectati esse, plerumque a poëtae consilio abhorrens, ad quam non sine multa machinatione et artificiosa rerum ac verborum quasi volutatione et conversione possit perveniri; sane est quod dubitemus assentiri viris doctis, quos supra nominavi. Augebitur autem ista dubitatio, si re diligentius perpensa intellexeris, quam mira, quamque ab natura ipsa et poëtica simplicitate aliena confinxerint, ut istud inventum suum aliqua ratione tuerentur; ut fere liceat suspicari, non ante quemquam colloquium sprevisse, quam de colloquii iusta et apta interpretatione desperasset. Sed videamus singula.

Umbram igitur Archytae quidam voluerunt quasi ipsam secum disputare. In quo id primum mirum mihi accidit, umbram istam principio quasi semet ipsam aut irridere aut certe cum dolore mirari, Archytam tam doctum hominem periisse, quasi id novum et prorsus insperatum possit esse umbrae scilicet Archytae ipsius. Deinde vero magis etiam mirum, eam umbram, quae modo ossa et caput inhumatum suum tamquam personam a se diversam erat allocuta, eandemque conditionem servarat etiam in consolatione: *iudice te non sordidus auctor naturae verique,*" eam post subito mutare rationem et consolari non Archytam, sed semet ipsam, quasi ipsa umbra *Illyricis obruta undis* perierit naufragio, sibique petere sepulturam: *precibus non linquar inultis.* Denique unde postremo ille nauta tamquam deus ex machina? — Nauta, aiunt, casu praetervehitur, eumque umbra animadvertens ex litore precatur, ut se ter pulvere iniecto sepeliat. — Fateor incommodum potius quam commodum eum mihi videri casum, et vix probabilem eam interpretationem, quae quum causam atque rationem exputare nequeat, ad casum confugiat; sed vix teneo risum, quum eam umbram alta voce clamantem et nautam revocantem videor videre. Alios nescio, mihi quidem hoc totum inventum non modo Horatio, sed ne infimae quidem notae poëta dignum videtur. Huc adde, quod at particula, qua utitur in ista allocutione, videtur postulare, ut, quae ante leguntur, eidem nautae sint dicta ita quidem, ut nautae aliquid concedatur. An vero nautam volunt astare statim a principio Archytae

tumulo, vel potius ossibus inhumatis? At si astat, quid astat tacitus? Ego vero censeo, si nautam finxerit poëta astare, etiam fecisse sic astantem, ut Archytae causam praeberet alloquendi. Praeterea, quum isti interpretes ipsi quoque velint umbram Archytae primum quasi ipsam secum colloqui, deinde alloqui nautam astantem vel praetervehentem, non tam colloquium illi quidem tollunt, quam iustam colloquii caussam. Colloquitur enim umbra primum secum sine caussa nec ulla re ad colloquendum excitata, colloquitur iterum cum nauta, ne ab hoc quidem ulla ratione ad alloquendum provocata. Ita quaecunque dicit quaeque facit umbra, ea et dicuntur et fiunt sine idonea ratione. Quid enim sedet umbra ad tumulum? quid aut miratur aut ridet casum suum? Nisi forte, ut ipsa sibi possit exemplis ex ultima mythologia repetitis illustrare sententiam a Pythagoraeorum placitis remotissimam: omnium post mortem animos ad Orcum descendere. Mirum hoc quidem, vel potius turpe commentum!

Alii vero, quum intellexissent totam hanc rationem probari non posse, non tamen genus interpretationis mutaverunt, sed tantummodo personam, cui tribuerent orationem, aliam quaerendam duxerunt. Quorum pars ita fere totam quasi scenam carminis confinxerunt: Horatium naufragum ad litus Matinum, ut tempus tereret, dum navis reficeretur, oberrasse ambulantem in litore atque incidisse in monumentum Archytae; eo conspecto miseratione quadam tactum dicere sex versus priores. Tum vero, postquam ipse Archytae casus de communi cum sorte hominum admonuisset, uberius eum sententiam „*nullam cuiquam esse leti fugam*“ explicare, illustrare, comprobare cum aliorum tum suomet ipsius exemplo, qui sibi ipse quasi periisse videretur primum naufragio, deinde post naufragium socordia et negligentia nautae. Postquam autem poëtica quadam licentia naufragium suum et tristem, qua tum premeretur, conditionem tantum auxisset, ut mortis instar haberet, denique etiam retineri istam superlationem ad finem usque et poëtam, quasi qui vere esset mortuus, sepulturam petere *ossibus et capili inhumato.*

Vereor magno opere, ne minus etiam haec sit ferenda interpretatio, quam superior. Primum iam tota fabula de Horatii naufragio ad litus Matinum non admodum verisimilis est, quippe de qua nusquam alibi mentionem fecerit; nam Od. III,

4, 27 *me Devota non exstinxit arbos Nec Sicula Palinurus unda* vix crediderim huc pertinere. Sed fecerit naufragium isto loco, fuerit neglectus a nauta; nonne ineptissima est superlatio poëta vel admodum iuvene indigna, hominem vivum et spirantem, quin etiam mortis timore modo liberatum ac solutum, sepulturam petere? Augentur autem ineptiae, quod petit sepulturam *ossibus et capiti inhumato*, eamque petit sollicita prece ab nauta invito et discessum iamiam parante, omnino quod tam diu haeret in ista superlatione. Eius ego inventi nullam prorsus video nec rationem neque excusationem. Verum suus cuique sensus pulcritudinis atque elegantiae, ac sunt fortasse, quibus elegans et pulcra videatur eiusmodi superlatio; conabor tamen efficere, ut illi ipsi concedant non esse istam Horatii elegantiam. Quid enim? Potuitne Horatius, probaturus omnium eandem post mortem esse fortunam omnibusque denique vita exacta ad Orcum esse descendendum, potuitne iis uti exemplis, quibus est usus? potuitne hoc ordine, quo videmus factum, ea collocare? potuitne eo, quo fecit modo, singula tractare? Minime vero. Nam quos commemorat, eorum partim nec vulgus hominum nec poëtae illa quidem aetate credebant sorte communi usos ad Orcum descendisse, sed longe alia ratione; partim ne mortuos quidem putabant. Tantalus ab Iove poenae loco missus in Tartarum, qui potest probare omnibus hominibus esse moriundum et migrandum in Orcum? Nonne is, si ab scelere sibi temperasset, ut Iovis filius, ad divinos poterat adspirare honores perpetuaque apud deos frui vita? Minos autem, inter Plutonis consiliarios receptus in Orco ipso tamen paene divino fruitur honore et certe non potest esse documento, quid post mortem maneat homines. Tithonum vero nemo istis temporibus, ut iam est animadversum a Bentleio, credebat periisse, sed vivere, etsi senio confectum, Aurorae beneficio. Ne Pythogoram quidem Horatius potuit affirmare ad Orcum descendisse, quippe quem constaret alia de se non praedicasse solum, sed comprobasse. Sed gravius est, quod ab Horatii persona prorsus alienum videtur a Tantalo, Tithono, Minoë transire ad Pythagoram et illis breviter commemoratis huius casum copiosius exornare, ut Pythogorae exemplo adeo maiorem vel probandi vel consolandi vim tribuere videatur, quam illis prioribus. Denique vero, quo tandem consilio ista omnia de communi moriendi necessitate putabimus exponi? — Consolatur. —

Quid ais? Consolatur? Quemnam? Si Archytam responderis, vide quaeso, quam inutilis ista sit consolatio ei, qui neque questus est sortem suam, nec illam consolationem audire potest et percipere; quamque propter conclusionem ridicula et paene inepta! Nam egregium profecto solamen: „Noli conqueri, Archyta, quod tibi moriendum fuerit et ad Orcum deveniendum; accidit idem ipsis deorum filiis et hominibus clarissimis; quid quod ego quoque naufragium feci, et iamiam videor mihi mortuus esse!“ An Horatium semet ipsum mavis solari? Quo tandem iure is de communi moriendi necessitate se consoletur, qui vivit et modo felici casu effugit mortem imminentem? Eum potius crediderim gratum diis animum significaturum fuisse. Quae cum ita sint, miror sane Regelium, postquam Kries et Orelli improbaverant, rursum ad eandem sententiam inclinare.

Tertia denique ratio eorum, qui improbant colloquium, ea est, qua sic fere scenam carminis, ut ita dicam, describunt: Umbram hominis alicuius, qui modo ad litus Matinum perierit naufragrio necdum suprema acceperit munera, haec omnia dicere. Eam umbram primum oberrantem in litore deferri ad Archytae monumentum ibique mirari Archytam quoque esse mortuum; tum vero consolari Archytam; denique, quum nautam conspexisset casu praetervehentem, ad eum conversam sibimet ipsi ultima petere munera. At sic quoque manent incommoda, quae supra commemoravimus, tantum non omnia. Primum cur omnino miratur umbra accidisse Archytae, quod scit nemini non accidere? Archytas quidem nunquam, quod sciam, speraverat se illa moriendi necessitate fore solutum. Quid quod ne ipse quidem Pythagoras se moriturum negaverat, sed tantum animam suam corpore mortuo ad Orcum descensuram? Porro nihil est, quod consoletur Archytam ista umbra. Deinde consolatio ipsa, vide quam minime apta sit, partim quod utitur exemplis, quae ista in re nullam possint habere vim consolandi; partim quod miro prorsus modo ab hominibus exorsa clarissimis atque deorum filiis ad se pergit ista umbra nescio cuius, tanquam, si dis placet, gravissimum consolationis momentum. Manet denique etiam ista parum idonea ad nautam casu nescio quo praetervehentem subita conversio, in qua ipsa vix expedias, cur Neptunum sacri potissimum custodem Tarenti appellaverit. Quid quod novae etiam accedunt difficultates? Carmen enim

totum sic discerpitur in partes duas, quarum prorsus nulla est cohaerentia, ut errore potius conglutinatae, quam iunctae consilio et arte videantur; partes vero ipsas si per se solas spectaveris, carent omnibus iis, quibus carmini lux aliqua afferri possit. Temere sparguntur orationes ab umbra, quam nemo scit, unde venerit et cur, nec cuius sit; ne umbram quidem esse quisquam potest suspicari, nisi ante cognita interpretum sententia; omnino nullum perspicitur aptum et sapiens totius carminis consilium. Itaque sane non miror Orellium, quum haec atque alia id genus perlustrasset, assensum cohibuisse. Atque profecto, si nulla alia pateret interpretationis via, equidem non dubitarem carmen potius abiudicare ab Horatio, negaremque audacter eius esse poëtae, quem nusquam videmus errare sine consilio et temere garrire, sed omnia dicere considerate; qui vel iis locis, ubi quasi divino quodam spiritu afflatus et abreptus surgit audacius pennaque fertur inusitata, tamen nusquam caeco quodam concitatur furore, ut sententiarum neque caussam neque finem assequi liceat. Nam illud quidem, quod posuit Orelli: „Difficillimum sane est verum statum scenamque carminis ita exponere, ut et tibi ipsi et aliis satisfacias; in quo, libere ut fatear, non omni culpa vacuus videtur ipse poëta.“ non assentior. Non enim crediderim poëtam in carminum collectionem recepturum fuisse poëma, quod immodica et perversa obscuritate premeretur, nec facile posset a quoquam recte intelligi; praesertim quum is sit Horatius, qui praeceperit: *Nonum prematur in annum.*

Redeundum est igitur ad colloquium, quod ipsa etiam carminis natura, ut supra significavimus, flagitare videatur. Namque appellatur in altera carminis parte Archytas, in altera nauta quidam; quid igitur verisimilius, quam Archytam ab illo nauta appellatum respondere et alloqui nautam? Sed ea quoque in interpretatione recentiores nescio quomodo ab eo, quod simplicissimum mihi quidem videtur, dedita opera videntur declinasse ad artificia quaedam, quibus tollitur omnis carminis non venustas modo, sed paene intelligentia. Est autem ista artificiosior ratio duplex, quod sciam, altera a Buttmanno proposita et a Düntzero l. s. l. defensa et rationibus aucta, altera ab Orellii amico quodam exposita et ab isto editore doctissimo in utraque editione commendata. Respondebimus, ut res ipsa postulat, ad priorem prius.

Buttmann igitur et Düntzer nautam ad Archytae tumulum dicere volunt omnia, quae habentur usque ad vers. 20., Archytae vero umbram huic orationi respondere inde a vers. 21. usque ad finem. Caussas eius descriptionis Düntz. l. l. affert has:

Primum legem dicit esse poëtarum Romanorum, ut personae, quam alloquantur, nomen semper prope absit ab orationis principio; nautae vero nomen, quum vers. 23. legatur, non posse Archytae orationem, qua is nautae respondeat, initium habere a. v. 7. Quo quidem ego argumento non putaverim quemquam posse magno opere commoveri. Nomen eius, ad quem convertitur oratio, et est ponendum et ponitur ab omnibus omnino hominibus, a quorum moribus non possunt dissentire poëtae Romanorum, eo loco, quo loco caussa subest alloquendi. Alloquendi autem caussae sunt aut si plures assunt, ut significetur et internoscatur is, ad quem convertitur oratio, aut si qua profertur sive petitio sive cohortatio, quae nomine addito quasi maiorem quandam videtur accipere vim. In simplici responsione, ubi omnia sunt posita in re ipsa, non in persona, cui respondetur, negligitur fere appellatio eius, cui respondetur, quamquam, si velis, nihil est quod addere prohibeat, et additur etiam interdum in sermocinatione potissimum familiari. Itaque si Archytas loqui coepit v.7., minime sero alloquitur nautam, cum versu demum 23. appellat; nam inde a versu 7. usque ad 22. respondet ad ea, quae obiecta erant in universum, non tam homini, quam rei; at responsione confecta v. 23. convertitur ad hominem ipsum et munus aliquod petit ab eo; hoc quidem loco, me iudice, ne ita quidem potuit negligere allocutionem, si ea etiam in principio sermonis sui iam fuisset usus. Sed quoniam exemplis quidam credunt facilius, quam rationibus, exemplis etiam docebimus alias quoque appellationem ab orationis principio tantumdem fere vel plus etiam distare, quam nostro in carmine. Utemur autem ipsius Horatii exemplis: Od. I. c. 4. Sextum alloquitur v. 14; c. 7. Plancum v. 19; II. c. 1. Pollionem v. 14; c. 12. Maecenatem v. 11; III. c. 8. eundem v. 13; c. 16. eundem v. 20; c. 19. Telephum v. 25; IV. c. 7. Torquatum v. 23; c. 9. Lollium v. 33; quibus locis omnibus fere a carminis principio sermo omnis conversus est ad eos ipsos, quos postea demum nominavit.

Addit D.: *te* v. 1. et *me* v. 21. sic esse in versuum initiis collocata, sic inter se opposita, ut fieri non possit, quin a voc. *me* alterius fiat initium sermonis, poëtamque, quum ista verba in versuum initio collocaret, id ipsum egisse, ut alterius sermonis initium notaret. Fateor me parum perspectam habere huius argumenti naturam. Neque enim hoc, opinor, vult dicere: in colloquio, si alterius sermonis initium fuerit *te*, non posse aliter incipere responsionem, nisi verbo *me*. Nam eiusmodi legem inauditam nec facile quisquam tulerit, nec latam probaverit. Talis autem lex si neque est neque potest esse, non assequor, quid sit, quod ex pronomine *me* coniecturam quis faciat de initio sermonis eius, quo nautae Archytas respondeat.

Pergit D.: Horatium omnibus carminibus suis, quae quidem sint ex genere lyrico, eam sequi videri legem, ut unum quodque carmen commode dividi possit in strophas, quae singulae quaternos versus comprehendant. Ei autem legi obstare illam descriptionem, qua Archytae oratio incipiat a v. 7., quod sic initium sermonis fiat a media stropha secunda. At hoc argumentum mihi quidem nullam prorsus videtur vim habere; neque enim legem istam, a Meineckio inventam ad carmen nostrum arbitror pertinere, nec si pertineret, concederem eam nostrae rationi obstare. Primum carmina epodon ipse versuum numerus liberat pleraque ista lege (cf. 1. 2. 3. 5. 9. 12. 13. 16. 17.); tum etiam res ipsa et metrorum natura. Nam quum singulos versus longiores excipiant singuli breviores versiculi, non nemo binos potius versus conficere stropham existimaverit, quam quaternos, siquidem licet stropharum nomine uti hoc in genere. Nostrum vero carmen, sicut c. 4. et 7. libri I. et c. 7. libri IV., quanquam in odarum collectionem receptum, tamen aperte epodon more modoque compositum est. Verum ut subiiciatur hoc quoque carmen isti legi, qui poterit probari non licuisse poëtae a media stropha Archytae exordiri orationem? Quotum quodque enim est carmen vel ex iis, in quibus vere versus quaterni efficiunt stropham, cuius strophae singulae singulas comprehendant sententias? Multoque minus in reliquis carminibus, ubi aut unus idemque recurrit versus, aut duo alternantur, singulae sententiae versus quaternos explent et intra istos fines cohibentur. Imo, prout sententiae natura fert atque postulat, modo pluribus modo paucioribus eam

verbis poëta complectitur, ac saepenumero vel medio in versu novam sententiam orditur.

Quartam denique causam quasi praeteriens attigit D. l. l. p. 63*) his verbis: „*Einzig richtig ist die allein durch Handschriften bestätigte Lesart* iudice te, *wofür man nur aus völligem Misverständnis verleitet durch die falsche Abtheilung* iudice me *vorschlagen konnte.*“ Verum istam, quam falsam D. dicit rationem, non solum ferre, sed paene flagitare *iudice te*, infra conabimur ostendere.

Apparet, opinor, Braunhardum, quum haec negligeret argumenta, nihil profecto neglexisse, quod esset magno opere curandum, nec iure eo nomine a Düntzero vituperatum esse.

Adhuc ostendimus, Düntzeri rationem argumentis allatis parum commendari. Quid quod alia sunt in promptu, quibus eam ne ferri quidem posse doceamus?

Iam ipsa sententia, quae inde a v. 7. usque ad v. 20 exponitur et exemplis comprobatur, parum apta est ad eam nautae mentem et conditionem, qua usus ille dixit, quae continentur v. 1—6. Sive enim vere miratur nauta periisse Archytam, sive ridet philosophum, quod non sit assecutus, quae speraverit, neque mirantis est neque irridentis, id ipsum, quod modo sive irriserat sive miratus erat, rursus excusare atque recte et secundum naturae leges factum docere. Imo, quem miratur vel ridet, eius est probare, non esse, quod quisquam hanc sortem suam rideat, quippe quae sit omnium communis, quamque ne ii quidem potuerint subterfugere, qui se et fuerint et putentur longe maiores fuisse. Nautae si eas partes tribuere volebat poëta, debebat, nisi me fallit, sic fere dicere: „Viden' igitur, nullam cuiquam esse leti fugam?“ Denique cur omnino tam copiose probet nauta, omnibus et olim fuisse moriendum et hodie esse? Ut doceat Archytam? At is expertus ipse sciebat. An se ut doceat? Multo minus. An consolari vult? Nec quem, neque cur consoletur dispicio, multoque minus, cur tam copiose eam rem tractaverit.

Exempla etiam, quibus utitur, ab nautae ingenio sunt aliena. Tithonum certe nauta et homo de plebe credebat vivere et vita frui perpetua Aurorae beneficio; atque Tantalum et Minoëm minime communi hominum sorte usos descendisse ad Orcum. Ne Pythagoras quidem recte commemoratur a nauta quidem; is enim scuto refixo

putabatur testatus esse hominum animas vel suam certe post corporis interitum non descendere in tristia regna Tartari, sed per varios casus ac mutationes in novas transire formas novaque induere corpora.

Ne ordo quidem et tractatio exemplorum nautae convenit. Progressus enim a deorum filiis et iis, qui quandam cum diis putabantur societatem habuisse, iisque brevius tractatis multus est in Pythagora, quasi huius exemplo melius rem suam probaturus. Philosopho ex Pythagoraeorum familia haec conveniunt, cui Pythagoras tanquam alter deus est vel potius ipsis diis maior; nautam et hominem de plebe decebat plus tribuere eorum exemplis, qui ipsi propius videbantur ad deos accedere.

Deinde vero Archytae oratio, si incipit demum a v. 21., non solum manca est et imperfecta, sed etiam absona atque paene inepta. Imperfectam dico, quia Archytas nihil fere ad nautae orationem respondet; est vero ea colloquii natura, ut priusquam transeas ad alia, primum respondeas ad ea, quae ab altero sunt exposita. Absonam autem indico, quod, si ille incipit his verbis: *Me quoque devexi* etc., aut nude assentitur nautae significans: Recte tu haec doces ac iam intelligo me quoque esse mortuum, qua ratione D. videtur accepisse, qui l. l. p. 63. haec habet: *diesem bittern Satze (nullam cuique esse leti fugam) muss jetzt auch Archytas beistimmen; er, der früher mit Pythagoras der Seelenwanderung und der höhern Vervollkommnung des Menschen bis zur Rückkehr zur Gottheit das Wort geredet;* aut satiatus et quasi taedio affectus disputationis longae atque inutilis, ut nautae praecidat orationem, ista interponit, quasi dicat: „Ohe! iam satis est nugarum; scio me quoque periisse, non est, quod tantis id me doceas ambagibus; at tu potius pulveris exigui particulam in me coniicito!“ Absonum est autem, eum qui dudum est mortuus, sic assentiri isti explicationi; absonum etiam, Archytam isto modo vituperare nautam. Dubitari etiam videtur posse, an verba alteram utram interpretationem non admittant, nisi additis aliis quibusdam, quibus planior vis verborum redderetur.

Denique ipsum initium v. 21. *me quoque* tantum non flagitare videtur, ut haec verba sint eiusdem, qui dixit priora; sic enim sententia recte procedit: Alii longe maiores, ipsique deorum filii sunt mortui, omnino nemo ista moriendi lege solutus est; ego quoque mortuus sum.

Postremo, quoniam isti carminis principium interpretantur: te, Archyta, qui totum coelum animo percurrebas, perexiguus nunc tumulus includit; profecto non intelligo, quomodo convenire putent, quod Archytas deinde *ossibus et capiti inhumato* petit sepulturam. Etenim si Archytae tumulus erat, erat ille humatus nec amplius poterat humari velle.

Effugit sane hanc postremam incommoditatem ille Orellii amicus, qui umbram non Archytae, sed alius cuiusdam naufragi, cuius ossa etiam tum inhumata iacerent ad Archytae tumulum, qui putabatur, ad nautae orationem finxit respondere. Sed id unum est scilicet, quod mihi quidem videtur vitasse; ad reliqua quod attinet, eius interpretationi aut eadem obstant, quae iam commemoravi, aut alia etiam maiora. Describit autem ortum carminis et quasi scenam hoc fere modo: Horatium, quum in tumulo illo ad litus Matinum, qui Archytae dicebatur, animadvertisset ossa hominis, qui nuper naufragio periisset, ea ipsa re admonitum carmen nostrum composuisse. Finxisse autem nautam aliquem secundum litus navigantem, qui isto Argytae tumulo conspecto in usitatas poëtae nostro de vitae brevitate et optimi cuiusque celeri interitu querelas erumperet; quibus querelis alibi fere utatur Horatius, ut transeat ad cohortationem illam: vitae bonis, dum liceat, fruendum esse. Hic vero nautam istum non transire ad cohortationem illam, sed querela fere finita videri sibi videre umbram naufragi illius (cuius ossa sciebat Horatius iacere isto loco insepulta), ad tumulum Archytae exsurgentem et id ipsum petentem, quod nauta modo deplorasset. Atque in eo ipso praecipuam putat esse carminis venustatem, quod istam querelam res vel maxime contraria sequatur, petitio, ut tandem aliquando liceat prorsus abire ab hoc quasi theatro omnium vitae laborum, et transire in eas regiones, ubi perpetua pace et quiete liceat perfrui.

Huic ego explicationi haec oppono: Omnem rationem tam artificiosam esse, ut sit contra naturam, eamque ob causam alienam ab eo poëta, qui naturam optimam sequebatur ducem. Contra naturam est, fingi nautam tumulo ex alto conspecto ista queri, quum ad istum tumulum nemini non pateret aditus, ut commodius quemvis alium faceret istas querelas fundentem; contra naturam est, nautam, hominem mediocriter eruditum et ipso negotio suo aliquantulum efferatum (*feroces navium duces*) tu-

malo conspecto sui dissimilem reddi et ad querelas delabi molles et paene muliebres de vitae fragilitate; contra naturam est, istum hominem eas querelas magna doctrinae copia adornare et exemplis uti non solum remotissimis, sed adeo suomet ingenio mutatis, quasi qui totam mythologorum disciplinam corrigere voluerit atque emendare. Porro ne hoc quidem placet, quod nauta ille ex alto conspecto tumulo aliquamdiu questus naufragi istius umbram sibi videtur videre, cuius ossa istic iacentia ipse non conspexerat. Nihil agis, quod nautam dicis fictum ab Horatio, Horatiumque vidisse ossa. Debebat poëta eam rem ita fingere, ut ex carmine ipso pateret, cur nauta umbram illam videretur videre. Accedit, quod istae de vitae brevitate querelae nullae sunt nec possunt esse. Quis enim unquam de vitae brevitate conquerens usus est Tithoni exemplo? quis unquam Tantali, ut optima quaeque praematura morte abripi doceret? Quid quod tota harum rerum tractatio non est querentis, sed docentis, si aliquid mihi est iudicii hac de re? Denique vero consilium carminis quod in eo putavit positum esse, ut aliquis adeo miser et deperditus ob oculos poneretur, qui eam tamquam summam atque extremam felicitatem exoptaret, quod reliqui homines malorum omnium extremum habere consuevissent, id prorsus neglecta antiquitatis ratione factum videtur. Nostri aevi hoc est, ut vitae bonis desperatis vitam ipsam deponere cupiant homines, et incredibili quodam aeternae, ut aiunt, quietis desiderio commoveantur; a tota antiquitate et praeter ceteros ab Horatio ista animi aegritudo fuit aliena. Nusquam illum vitae poenitet atque taedet, nusquam nec ipse optat nec fingit, qui optet ex hac laborum atque malorum colluvie quam citissime evolare eo, ubi *nec Pelopidarum nomen, nec facta audiat.* At saepenumero laudat vitam vitaeque iucunditates, iubetque amicos perfrui eius dulcedine, dum liceat.

Apparet, opinor, eam interpretationem si sequamur, carmen nos habere et ipso consilio ab Horatio Horatiique tempore alienum, et tota tractatione et compositione ita comparatum, ut aptum et tanto praesertim poëta dignum haberi non queat.

Quae quum ita sint, una superest ratio, illa, qua olim plerique totum carmen sunt interpretati, secundum quam nautae oratio pertinet ad vers. 6; reliqua omnia

sunt Archytae vel umbrae potius eius philosophi; quae mihi quidem etiam tam apta, tam concinna videtur, ut paene mirer recentiores interpretes fere omnes ab ea discessisse.

Verum ut recte eius colloquii ratio et natura perspiciatur, quaerendum est ante omnia non, quo tempore carmen a poëta sit compositum, — id enim ad rem nihil fere pertinet, nec quicquam mutatur interpretatio, sive sequimur Grotefendium, qui retulit ad annum u. c. 726, sive Kirchnerum, qui poëma conditum putavit a. u. c. 717; — sed quo tempore hoc nautam inter et Archytae umbram colloquium habitum esse fingatur. Id autem, nisi fallor, intelligitur facile ex ipsa Archytae oratione. Is enim quum sepulturam petat „*ossibus et capiti inhumato*“, non potuit alio eam tempore petere, nisi eo, quo etiam tum extremo munere carebat corpusque iacebat in litore inhumatum, i. e. non multo post naufragium multoque ante, quam posterorum pietate monumentum philosopho vel erat exstructum vel putabatur.

Quae si ita sunt, fingitur umbra ad corpus sedere, quia corpore nondum humato, quae erat veterum superstitio, animae interclusum erat iter ad Orcum, et conspici a nauta; eius vero allocutio hanc debet habere vim, ut miretur non tam mortuum esse Archytam, quod sciebat nulli non esse propositum, quam eum post mortem eadem, qua ceteros mortales, uti fortuna et contra, atque ipse speraverat, et omnino Pythagoraei affirmabant, non transiisse in novum corpus, sed reliquorum instar sedere ad cadaver insepultum nec posse nisi corpore humato ad Orcum descendere. Male igitur Doeringius et quicunque eum sequuntur verba: „*te cohibent pulveris exigui prope litus parva Matinum munera*“ interpretati sunt: exigua terrae parte iam teneris et qui olim animo totum paene orbem terrarum complectebare, nunc tantulo es spatio contentus, quantum corpus capit et complectitur; sed habetur hic ea dicendi forma, quam vulgo mire sane *rem pro rei defectu* vocant, ut vis verborum haec sit: „Ergo tu quoque, Archyta, hic teneris nec potes pervenire ad sedes defunctorum, quia n o n d u m accepisti parva pulveris exigui munera! Nihil igitur praestat tua aliorum hominum conditione, quum tibi prorsus eodem modo fuerit moriundum atque ceteris, neque post mortem is, quem speraveras, transitus pateat in corpora alia, quo concesso sane non viderere vere esse mortuus.

Iam vero si hanc habet vim nautae oratio, patet etiam, Archytae utendum esse quadam vel deprecatione vel excusatione, atque revocandam et corrigendam istam de animarum migratione opinionem, quam auctore Pythagora, dum vixerat, erat professus, et redeundum ad eam sententiam, quam vulgo homines sequebantur, quod facit vv. 7—22; ac tum petendum illud ipsum a nauta, quo etiam caret magno cum damno suo et dolore, quod videmus fieri a v. 23 usque ad carminis finem.

At iam vide mihi, quam eleganter et docte, quam caute simul et prudenter eam orationem poëta instituerit! Verba illa, quae a quovis alio dicta plena erant dubitationis et offensionis, ea ab Archyta pronuntiata et planissima sunt et aptissima tam ad rem ipsam, quam ad personam. Primum omnibus semel calcandam esse viam leti et caput nullum saevam Proserpinam fugere, quae sententia prorsus videtur abhorrere a philosopho Italico, ea aptissima est Archytae iam mortuo et experientia edocto. Deinde quod ab exemplis proficiscitur ex ultima mythologia repetitis, id prorsus aptum homini doctissimo, cuius orationi quandam magnae eruditionis affert speciem, quam certe non debebat negligere Horatius, quum hominem tam doctum loquentem introduceret. Porro Tithoni exemplum, quod per se spectatum ad rem, qua de agitur, probandam prorsus est alienum, rectissime profert philosophus, qui semper fabulas istas et mythologorum nugas contempserat, praesertim iam demortuus, qui ista iam melius possit scire expertus; maxime vero, quod ipse sibi ab eo exemplo petit excusationem. Namque si ii quoque, quos vulgus hominum alia opinatur uti conditione, atque ceteros mortales, dicuntur ad Orcum descendisse, et ab eo, qui possit scire, quid mirum, Archytam a communi necessitate exemptum non fuisse? Tum Archytas, Pythagorae discipulus, bene Pythagorae exemplum tamquam gravissimum affert postremum tractatque copiosius; quod profecto, nisi in philosophum ex Pythagorica familia, non cadit. Nec pugnat hoc, quod Pythagoram quoque ad Orcum descendisse dicit; non enim vivus Archytas loquitur, qui praeceptori fidem habuerat, sed is, qui iam scit ista falsa fuisse et ab simili casu eorum, qui sese habeantur maiores, sibi excusationem petit. Postremo vero ita demum verba: *me quoque* etc. iustam habent interpretationem; est enim totius expositionis hoc quasi iter: Alii longe maiores, quosque vulgo negant, humana con-

ditione usos, tamen ipsi quoque vere sunt mortui; omnino nulla cuiquam leti*) fuga; quid mirum, mihi quoque ad inferos esse transeundum?

At vero, si iam intelligit Archytas, falsam fuisse et inanem spem istam, quam duce Pythagora conceperat animo, si iam videt, sibi quoque in tristia Plutonis regna descendendum esse, quid potest sedens ad ossa et caput inhumatum, qua ipsa re prohibetur, quominus perveniat, quo tendit, quid, inquam, aliud ille potest optare, quid vehementius cupere, quam ut tandem aliquando sibi liceat devenire in sedem beatorum? Quid igitur ad totam hanc rerum conditionem accommodatius, quam ista subita post excusationem ad preces conversio? Quae eo est significantior, eo ad totius carminis consilium aptior, quo acrius instat, quo acerbius minitatur, quo submissius rogat et nautae misericordiam implorat. Sic enim optime fit perspicuum, Archytam mortuum prorsus eadem, qua ceteros mortales, esse conditione, ac ne in ipso quidem ullam reliquam esse spem eius fortunae, quam Pythagoras suis promiserat.

Consilium autem carminis quodnam sit, post haec vix crediderim posse dubium esse. Ridet poëta et redarguit istam Pythagoraeorum de animarum migratione sententiam. Atque si nihil aliud, hoc certe videor posse sperare omnes daturos esse: eam provinciam nullo modo commodius potuisse administrari, quam ita, ut introduceretur Pythagoraeus quidam praeter ceteros clarus et ipse iam mortuus, qui confiteretur et suomet ipsius exemplo probaret, istam vanam fuisse doctrinam et inania omnia, quaecumque olim ipse duce et auctore Pythagora sperasset. Talem autem aliquem si quaerimus, quis aptior Archyta? qui et tanta floruit doctrinae laude, ut eius confessio satis haberet gravitatis, et ea fuerat usus fortuna, ut pro veterum superstitione commode eum poëta cum homine aliquo posset facere colloquentem, et ita colloquentem, ut ista ipsa fortuna duceret, quin adeo cogeret ad ea exponenda et pertractanda, quae in istius doctrinae irrisione erant proponenda.

---

*) letum et mortem si commemorat Archytas, non intelligit corporis interitum, quem nunquam Pythagoraeorum quisquam speravit se posse effugere, sed animae transitum ad inferos, quem cum corporis dissolutione iunctum esse negabant Pythagoraei.

Superest ut disputemus etiam de locis aliquot, qui aut impedire videri possint hanc interpretationem, aut inprimis adiuvare, ut et istos expediamus, et his nostram rationem quantum fieri potest confirmemus et corroboremus.

Diximus supra, in verbis: *te cohibent parva pulveris exigui munera,* accipiendam esse figuram, quam vocant *rem pro rei defectu;* nostrum erit igitur eius figurae naturam explicare et docere, eam non esse alienam a nostro loco, praesertim quum fuerint, qui eam negarent nostro loco et locis nostri similibus ferri posse, quique dicerent, hoc si liceret, nihil iam esse, quod non posset interpretando in contrariam detorqueri sententiam. Exposuit quidem iam ea de re Grauer in Antiquitatis annalibus *(Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft)* 1842 p. 1—34. magno cum doctrinae apparatu diligenter et copiose, nec nostri ille loci est oblitus; sed tamen rem altius repetiit et subtilius tractavit, quam ut tirones facile percipiant, et eo loco, ad quem illis aditus vix pateat; praeterea in quibusdam ab illo discedendum videtur, et hoc quidem ipso in loco, de quo agitur, interpretando alias sequor rationes; ut sane non verear, ne acta videar agere, si ad sensum atque intellectum discipulorum vim et naturam eius figurae describam.

Licet igitur mea quidem sententia rem pro rei defectu ponere, i. e. iisdem verbis res contrarias significare, triplici ratione:

1) in deorum nominibus et verbis, quae eas naturae vires significant, quibus dii putabantur praeesse;

2) in vocabulis, quae media dicuntur, quorum tam latum est imperium, ut ipsa contraria complectantur;

3) in omnibus verborum comprehensionibus, in quibus tantum inest ambiguitatis, ut ab aliis alia rerum conditione pronuntiata aliam vim habeant.

Quod ad deorum nomina attinet, nullam res habet difficultatem, si cui deo tribuitur, quod eius naturae videatur contrarium. Nam, ut recte notavit Grauer l. l., dii, quoniam personae sunt, personarum utuntur libertate et dum pro lubitu modo utuntur viribus suis, modo cohibent eas, contraria efficiunt. Sic *Sol* diem *promit* et *celat*; *Notus* et *tollit* freta et *ponit*; *Apollo* et *pellit* morbos et *affert*; *Fides*que ipsa dicitur *arcani prodiga*, quae nostra sane ratione tum est *perfidia.* Non

male Grauer l. l. eam nominat figuram personatam; nam difficultas omnis est soluta, si de persona cogitaveris, cuius libera est agendi facultas. Sed apud poëtas etiam latius patet hoc genus atque transfertur interdum ad eas res ipsas, quibus praesunt dii, ad naturae vires, quae sunt deorum et pendent ab eorum voluntate, ut quasi res pro deo videatur posita, qui eam rem administrare putatur; velut cum dicitur *stat ventis mare placidum.* Prosae tamen orationis scriptores, nisi forte in oratione magis concitata, quae ad poëtarum similitudinem accederet, hac licentia crediderim abstinuisse. Ciceronis locum certe, qui est de Nat. D. II. 19. *Sol, qui astrorum tenet principatum, ita movetur, ut cum terras larga luce compleverit, easdem modo his modo illis ex partibus opacet; ipsa enim umbra terrae, soli officiens, noctem efficit:* non putaverim huc pertinere. Neque enim Sol deus lucem cohibens hic noctem efficit, sed sol opacat terram, quia sol causa est umbrae, qua terrae pars altera tenebris offunditur, ut Cicero isto quidem loco naturam ipsam expresserit; quod iis ipsis, quae subiiciuntur, fit planum*).

---

*) Non possum hoc loco praeterire Sophoclis versum de Aiace 674.

δεινῶν τ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε
στένοντα πόντον.

quem nego figura personata satis esse defensum; nam quamquam recte venti dicuntur pontum placare, mulcere, sopire, perverse tamen id facere dicuntur venti vehementes et concitati (*δεινῶν ἄημα πν.*); neque si Notum concedo fluctus sedare et freta ponere, sequitur *rabiem Noti* idem efficere. Quid ita? quia ita in attributo inest, quod pugnat cum iis, quae praedicantur. Neque enim vehementia ventorum ponit freta, sed clementia, qua spiritum cohibent et vim ipsi suam coërcent. Sed cave tamen corrigas *λείων.* Imagine enim maris *vehementi* ventorum *flatu concitati* et deinde rursus *sedati* iste locus nullo pacto videtur carere posse, quam imaginem prorsus evertit illud *λείων.* Mea sententia poëta, quum brevitati studeret, quo propius opposita distarent maioremque haberent vim, in totius ratione imaginis mente defixus audacius orationem contraxit, cuius plenior ac planior forma haec fere debebat esse: *δεινῶν τ' ἄημα πνευμάτων καὶ στένοντα ἐποίησε τὸν πόντον καὶ ἐκοίμισε;* in qua sane minor foret offensio, quod jam ventorum *concitationem* ad solam maris *commotionem* liceret referre. Similiter, si qui poëta Romanus dixisset: *Rabies Noti concitatos sedavit fluctus,* non id quidem ego magno opere laudarem, sed tamen a poëtarum consuetudine et licentia non prorsus alienum esse iudicarem, praesertim quum re vera tempestate cedente ventus mutatus contra fluctus pugnare, excercere undas et sic luctando mare tranquillum reddere videatur.

Alterum genus complectitur vocabula, quae vulgo vocantur media, ut: valetudo, fortuna, ingenium, vires, aetas, alia id genus. Horum omnium vis tam late patet, ut contraria complectantur et natura sua ambigua sint. Tollitur autem ambiguitas modo adiectivis subiunctis, modo ipsa verborum cohaerentia, ut illa adiectiva possint abesse. Quae si absunt, exoritur illa, quam figuram dicunt. Sed figura est iis dumtaxat, qui liberius vertunt et *valetudinem* reddunt *Gesundheit*, vel *fortunam Glück*, quae est *recta valetudo*, *gutes Befinden*, *secunda fortuna*, *günstiges Geschick*. Quae huius generis sit ratio, apparet inde, quod nemo unquam nec dixit nec potuit dicere, *senectute* se esse prohibitum, quum se *annis minorem* vellet dicere, nec *iuventute* impeditum, qui non *iuvenis* sed *senex* esset; at recte uterque dicit *aetate* vel *annis* se prohiberi, si is, cui haec dicuntur, aliunde sciat, quae sit aetas, quot anni hominis.

Prorsus eadem est ratio generis tertii, ubi ambiguitas non in uno aliquo vocabulo, sed in tota verborum comprehensione sita est; quaedam enim dictiones ex orationis cohaerentia vel ex eorum hominum conditione, de quibus usurpantur, prorsus contrariam possunt accipere vim. Velut, si quis dicat, *hanc navem gubernator subvertit*, per se id vix possit aliter intelligi, nisi sic, gubernatorem *praesentem* vel inscitia vel alia quapiam re effecisse, ut navis periret. At si de gubernatore sermo est, qui navem suam, quum tempestas immineret, deseruit, ut navis periret propter gubernatoris absentiam, statim unusquisque intelligat ista verba significare: gubernatorem *absentem* i. e. propter absentiam suam culpam deperditae navis sustinere. Ex eo genere est illud Homeri Il. I. 65 *εἴτ' ἄρ ὅγ' εὐχωλῆς ἐπιμέμφεται, εἴθ' ἑκατόμβης·* et Il. V. 177. *ἱρῶν μηνίσας*: nam utroque loco ex ipsa reliqua narratione lectores sciunt intelligi *sacrificia neglecta*, *non praebita*. Quamquam interdum simili in causa Homerus tamen illud ipsum addidit, quod iam ex ipsa narratione planum erat; velut quum Iliad. XXI. 456 dixit: *νῶϊ δέ τ' ἄψοῤῥοι κίομεν κεκοτηότι θυμῷ μισθοῦ χωόμενοι, τὸν ὑποστὰς οὐκ ἐτέλεσσεν.* At quaeritur, nostri loci similisne sit conditio. Grauer l. l. dicit: „*Der Dichter durfte kein Missverständniss befürchten; er konnte mit Fug und Recht an den Glaubenssatz des Volkes appelliren, dass auch eine Hand voll Staub hinreichte den Schatten des Ver-*

storbenen zur Ruhe zu bringen; unwillkürlich ergänzte man: non praestita. At vereor magno opere, ut quisquam mente addat *non praestita*, nisi qui carmine toto perlecto intellexerit, nautam alloqui *umbram* Archytae *ad cadaver inhumatum sedentem.* Id igitur habet incommodi locus noster, quod id, unde planum fit, quomodo verba sint accipienda, multo demum infra sequitur, ubi illa umbra Archytae *ossibus et capiti inhumato* petit sepulturam. Sed tamen omnis ista tollitur offensio, si animo repraesentamus nautae istius conditionem. Is enim quum videret umbram nondum descendisse in Orcum, *quod nondum accepisset munera extrema* id factum esse sciebat, et profecto recte dicebat: *parva pulveris exigui munera te cohibent* ea vi: *parva pulveris exigui munera nondum praestita prohibent, quo minus ad Orcum descendas.* Ambiguitas igitur nulla est in nautae oratione, sed nascitur inde, quod lectores, nisi perlecto carmine toto, non facile intelligunt, quae conditio, quae quasi scena sit carminis. Num autem Horatius eo nomine vituperari potest? Non putaverim. Poëta enim suo iure postulat, ut, qui carmina sua legant, eodem sint animo, quo erat ipse, quum carmen conderet. Qua in re tamen nostrae aetatis scriptores aliquanto sunt diligentiores, qui, si scribunt, quae videantur aliquid ambiguitatis habere, ne in reprehensionem incurrant, inscriptione solent cavere. Velut in Horatii loco omnis erit remota dubitatio, si inscripseris: „*Colloquitur nauta cum umbra Archytae ad corpus inhumatum sedente.* Quam inscriptionem si Horatius ex istius aevi more praetermisit, certe id non poterit hanc habere vim, ut colloquium ipsum tollamus et ad artificia nescio quae confugiamus, quibus totum carmen paene ad nugas atque ineptias corrumpitur.

Alter est locus, qui nostram interpretationem quibusdam visus est impedire v. 14. *Iudice te non sordidus auctor naturae verique.* Negant enim Archytam ad nautae auctoritatem provocare posse et eo quasi iudice et teste uti de Pythagorae virtute; requirunt *iudice me* aut aliam dicunt carminis totius constituendam esse rationem. Quos ego profecto valde miror. Nam qui disputat cum aliquo, exempla, quibus rem probet suam, non ea solet proferre, quae apud ipsum auctoritatis habeant multum, apud adversarium fortasse parum; sed ea, quibus adversarius potissimum credat. Itaque Archytas, quum nautam Pythagorae exemplo edocere

vellet, neminem a communi moriendi necessitate liberum nec esse nec unquam fuisse, sed omnes mortales cogi eundem in locum, non sibi, sed nautae gravem eum auctorem esse dicere debebat. Sic igitur argumentatio procedit: *Adeo ille Pythagoras, quem haud dubie tu quoque scis hominem doctissimum fuisse, nec dubitas bene perspectas habuisse naturae leges, adeo ille erravit, quum se post mortem in tristia Plutonis regna non venturum praedicaret.* At, inquies, quid nautae, homini de plebe, de Pythagorae placitis eiusque inter philosophos auctoritate potuit esse indicii? Non ego hic confugiam ad eorum astutias, qui nautam vel navigii dominum vel mercatorem pecuniosum interpretati negant ab eo homine alienam esse omnem doctrinae elegantioris scientiam. Fuerit sane nauta ille, quem finxit Horatius, de infima plebe, ut hodie quoque apud Graecos potissimum et Italos pauperes homines atque indocti parva possident navigia; at vixisse putandus est eo tempore, quo erat recenti memoria Pythagorae fama per totam Italiam inferiorem, quo tempore homines istarum regionum et potissimum Tarentini, qua in urbe ipse frequenter erat commoratus plurimosque reliquerat discipulos, ignorabant fortasse plerique, quaenam placita proposuisset, sed sciebant omnes fuisse Pythagoram hominem summa doctrinae copia praeditum et praeter ceteros sapientem. Tantum quivis isto tempore sciebat et scire poterat; itaque suo iure Horatius Archytae tribuere poterat verba: *iudice te non sordidus auctor naturae verique* hac sententia: *homo, quem tu quoque, quamquam rudis es scientiae elegantioris, tamen scis doctissimum fuisse et summae inter physicos auctoritatis.*

Commendatur autem interpretatio nostra potissimum v. 29. *multaque merces, Unde potest, tibi defluat aequo Ab Iove, Neptunoque sacri custode Tarenti.* Haec enim verba si sunt Archytae Tarentini, qui alloquitur nautam, sunt planissima. Contra si alius dicat quicunque, frustra caussam quaeras, cur Neptunus Tarenti custos potissimum hic sit nominatus.

Denique addo male quosdam v. 31. „*Negligis immeritis nocituram Postmodo te natis fraudem committere?* coniunxisse *te natis*, ut esset: *ex te natis, filiis tuis.* Quamquam enim frequenter poëtae *natus, satus*, similia simplici ablativo iungunt, tamen noster locus eam interpretationem non videtur admittere et quod additum *te*

sic prorsus est inutile; nam etiam si abesset, nemo alios natos intelligeret; et quia negligendi vocabulum eam hic debet vim habere, qua non admittit nudum infinitivum, sed accusativum cum infinitivo requirit; nam *negligo committere* est *non committo*, contra *negligo me committere* est *parvi pendo, si committam;* atque posterius hic requiritur. Cf. Caes. B. G. III. c. 27. *Paucae ultimae nationes hoc facere neglexerunt.* Cic. Phil. III. §. 20. *diem edicti obire neglexit*, quod idem dixerat §. 19. *edixit ut adesset senatus frequens a. d. VIII. Kalendas Decembres: eo die ipse non adfuit.* Contra Phil. XIII. §. 33. dicit Antonius: *Theopompum nudum, expulsum a Trebonio, confugere Alexandriam neglexistis;* atque id post Cicero explicat: *de Theopompo neglexìmus* i. e. eam rem nullius momenti iudicavimus.

Haec fere sunt, quae de huius carminis ratione et consilio habui dicere. Nautam enim cur potissimum poëta colloqui cum Archytae umbra voluerit, facile per se intelligitur, praesertim si memineris, quo tempore habitum esse colloquium fingatur. De subtiliori autem interpretatione, quam quidam vocant, qua sub Archytae Tarentini nomine et persona hominum doctorum superbiam perstringi dicas et arrogantiam, consulto tacui, quoniam haec quidem res natura sua ita est comparata, ut quantum istius subtilitatis poëta ipse carmine sit secutus, quantumque ultro interpretes inferant, vix possit diiudicari. Mihi hoc unum erat propositum, ut, quam verba ipsa postulare viderentur interpretationem, exponerem. Quo in negotio, si aequis huius scriptiunculae iudicibus caute et circumspecte videar versatus esse, cepi, quem unum maxime exoptabam laboris fructum.

Jahresbericht.

Schuljahr 1847 — 1848.

Denkwürdiges.

In Beziehung auf die Personalitäten ist in diesem Schuljahre sowohl bei den Mitgliedern der Commission, als auch bei den ordentlichen Lehrern eine Hauptveränderung nicht eingetreten.

Der Gesangunterricht ward seit dem Januar d. J. dem vierten Collegen, M. Meutzner, übertragen, nachdem ihn bis dahin der Bürgerschullehrer und Stadtkantor Fincke geleitet hatte.

Die Wirksamkeit des Sprachlehrers Freytag hat sich nach Hoher Verordnung dahin erweitert, dass derselbe gegen ein angemessenes Honorar 7 deutsche und 3 geographische Lehrstunden im Progymnasium vom Anfang des Schuljahres an übernommen hat.

Die Localien für den Unterricht der Progymnasiasten wurden, da das Parterre im Gymnasialgebäude, wo dieselben früher unterrichtet worden waren, dem Gymnasialboten wieder zur Wohnung überwiesen ward, im Hause des Tischlermeisters Kolbe, dem Gymnasium gegenüber, mit Hoher Genehmigung miethweise beschafft.

Dem dritten, vierten, fünften und sechsten Collegen wurden Gratificationen von je 25 Thlr., dem siebenten eine von 50 Thlr. bewilligt; dem achten Collegen für die obgenannte Erweiterung seines Lehrkreises sein Gehalt um 100 Thlr. erhöht; endlich dem Hausmann oder Gymnasialboten 10 Thlr. zugelegt.

An Lehrmitteln ward ausser nicht wenigen andern Büchern, Charten, Vorlegeblättern u. dergl. die „allgemeine Encyclopädie der Wissenschaften und Künste von Ersch und Gruber," so weit sie bis zum Jahr 1845 in ihren 3 Abtheilungen erschienen, in 82 Bänden in 4. angeschafft; ausserdem eine grosse, schöne, reich ausgestattete Elektrisirmaschine, gefertigt von dem gegenwärtig hier sich aufhaltenden Mechanikus Claussen.

Prämien aus der Leissnerschen Stiftung erhielten am 29. März 1847 nach dem Beschlusse des Lehrercollegiums:

Verzeichniss der Zöglinge des Gymnasiums.

(Am Schlusse des Schuljahres 1847—1848.)

Primaner.

Eduard Stauss aus Greiz.
Hermann Weber aus Plauen, jetzt Chemnitz.
Heinrich Dölling aus Plauen.
Ludwig Fickert aus Plauen.
Theodor Schreiner aus Plauen.
Otto Georgi aus Mylau, jetzt Dresden.
Julius Keil aus Eibenstock.
Max Schneider aus Reuss.
Otto Schmidt aus Neumark.
Heinrich Schubert aus Waldkirchen, jetzt Treuen.
Ekbert Marhold aus Reichenbach.
Reinhold Merz aus Oelsnitz.

Secundaner.

Gottlob Grimm aus Treuen.
Gottlob Reichenbach aus Trieb bei Bergen.
Heinrich Körner aus Auerbach.
Rudolph Schmidt aus Plauen.
Constantin Schuster aus Hartenstein.
Julius Oette aus Plauen.
Ludwig Hüttner aus Plauen.
Heinrich Michaelis aus Rodersdorf.
Wilhelm Michaelis aus Rodersdorf.
Robert Sinz aus Neudeck.
Gustav Tenzler aus Schwarzenberg.
Arthur Heinike aus Neuhausen bei Purschenstein.
Louis Meissner aus Treuen.
Martin Wapler aus Bärenwalde.
Julius Sterzel aus Buchholz.
Friedrich Weidauer aus Buchholz.
Bernhard Nagel aus Eisenberg bei Dresden, jetzt Plauen.
Friedrich Köppel aus Treuen.
Friedrich Parucker aus Plauen.
Richard Seydel aus Plauen.

Tertianer.

Reinhold Strobel aus Untertriebel.
Wilhelm Friedrich aus Kloschwitz.
Cölestin Schreier aus Oelsnitz.
Emil Wehner aus Reissig.
Friedrich Meyer aus Schöneck.
Edmund Geipel aus Eibenstock.
Ferdinand Schmidt aus Geilsdorf.
Edgar Leuthold aus Lomnitz, jetzt Schöneck.
Albin Böhler aus Plauen.
Albert Werner aus Frankenberg.
Oskar Werner aus Frankenberg.
Albert Leuthold aus Lomnitz, jetzt Schöneck.
August Wolf aus Treuen.
Theodor Vogel aus Plauen.
Carl Döhler aus Schöneck.
Theodor Brahmer aus Dorfschellenberg, jetzt Plauen.
Louis Patz aus Oelsnitz.
Anton Feistel aus Grochlitz.

Quartaner.

Hermann Haas aus Greiz.
Hermann Freytag aus Plauen.
Ferdinand Klemm aus Taltitz.
Hermann Keller aus Neustadt a. d. O.
Hermann Frank aus Kottenheyde.
Reinhold Gottschald aus Oelsnitz.
Julius Tischendorf aus Lengenfeld.
Rudolph Kunze aus Lengenfeld.
Carl Kunze aus Lengenfeld.
Ludwig Oehme aus Plauen.
Ferdinand Mohr aus Plauen.
Adolph Unger aus Dresden, jetzt Brambach.
Gustav Vogel aus Langenleuba-Oberhain.
Albert Lindemann aus Zwickau, jetzt Plauen.
Adolph Wunder aus Chemnitz, jetzt Plauen.
Edgar Krause aus Lengenfeld.
Otto Freytag aus Plauen.
Friedrich Leipold aus Plauen.

Quintaner.

Hermann Schönfelder aus Auerbach.
Victor Fernbacher aus Ellefeld.
Hermann Zschweigert aus Plauen.
Robert Beyer aus Freiberg, jetzt Plauen.
Richard Heyden aus Pausa, jetzt Brambach.
Robert Temper aus Ruppertsgrün.
Julius Quaas aus Plauen.
Theodor Heyden aus Pausa, jetzt Brambach.
Gustav Jahn aus Plauen.
Richard Brückner aus Plauen.
Heinrich Kaufmann aus Plauen.
Erasmus Paul aus Mylau.
Bernhard Brückner aus Plauen.
Hermann Klinckhardt aus Pausa.
Robert Schanz aus Pausa.
Otto Jäger aus Oschatz, jetzt Plauen.
Hermann Färber aus Plauen.
Hermann Mohr aus Plauen.

Sextaner.

Richard Blankmeister aus Langenbach.
Hermann Paul aus Plauen.
Ludwig Eisenreich aus Plauen.
Hermann Friedrich aus Plauen.
Clemens Preusser aus Theuma.
Curt Händel aus Brambach.
Carl Dreyssel aus Plauen.
Bernhard Häntzschel aus Neuensalz, jetzt Plauen.
Robert Hüttel aus Plauen.
Florens Lehmann aus Plauen.
Ludwig Münzing aus Plauen.
Otto Friedrich aus Plauen.
Bernhard Müller aus Plauen.
Clemens von Goldammer aus Plauen.
Alwin Thieme aus Plauen.
Oskar Zschweigert aus Plauen.
Hermann Reichmann aus Plauen.
Victor Lindemann aus Annaberg, jetzt Plauen.
Otto Knabe aus Plauen.
Ludwig Bablitzscheck aus Plauen.
Eduard Uhlmann aus Plauen.
August Schneider aus Schreiersgrün.
Victor Sauer aus Werda.

Gedruckt bei Wilhelm Staritz, Univ.-Buchdr., in Leipzig.